

CASUS CONSCIENTIAE

DE IUDICUM OFFICIIS

AMBROSIUS, iudex regius, magis de bono filiorum quam de iustitia dicenda sollicitus, Caium, filiae sponsum, absolvit quamvis reus iudicialiter constiterit; Ivum filium docet quomodo causae tractari debent ut lites vincere possit; imo Gervasum innocentem morti damnavit quia reus iudicialiter inventus est.

QUAERITUR:

- I. Quaenam sint munera tum iudicis, tum advocati?
- II. Quando iudicis sententiae standum est?
- III. Quid de modo agendi Ambrosii?

PRAENOTANDA

Cum facultatem curam communitatis habentibus dederit Deus leges condendi ad prosecutionem finis naturalis hominum, dicendum videtur quod Ipse Deus humanam societatem mediis idoneis suppeditavit quibus leges latae efficaciam sortiantur, ita ut sanctionem intentam obtineant premiis vel poenis. Processus vero quo sanctio istalocum habet iudicium vocatur. Iudicium ergo 'est legitima disceptatio et definitio causae, inter actorem et reum, per iudicem facta'. Iudicium hoc est criminale vel contentiosum prout statuitur ad poenam delicto infligendam, vel ad iura personarum vindicanda et prosequenda. In constitutione autem omnis iudicii interesse debent inter alios et iudex et advocatus.

Iudex est persona publica a legitima auctoritate constituta ad ius dicendum et definiendum.

Advocatus dicitur qui litigantis causam suscipit in iudicio defendendam.

AD PRIMUM:

Quaenam sint munera tum iudicis, tum advocati?

Ante iudicium iudex praeditus esse debet et iurisdictione et scientia competenti. Carens enim iurisdictione iudex invalide sententiam dicit, reusque fit iniustitiae tum erga iudicem cuius iurisdictionem usurpat tum erga reum contra quem vim coactivam iniuste adhibet. Carens vero scientia debita iudex temere sese exponit periculo nocendi iis quorum causas agit, ideoque ad restitutionem damni ex eius ignorantia secuti tenetur.

Iudicio durante iudex tenetur ex iustitia tum legali tum commutativa, ob quasi-contractum initum cum societate et cum partibus, causas cum debita iustitia et diligentia tractare, atque in omnibus integritatem suo officio proportionatam exhibere.

Iustitia quae in causis tractandis adhibere iudex debet postulat ut iudex processum instituat et sententiam ferat iuxta leges vigentes, modo iustae sint. Ad sententiam ferendam iuxta leges constitutus est iudex. Ergo si leges violat peccat contra iustitiam legalem, si ius strictum alterius violat peccat contra iustitiam commutativam et ad restitutionem tenetur.

Diligentia postulat ut iudex in causis tractandis curam illam adhibeat quae iudicio prudentum necessaria censetur pro gravitate rei. Porro debet et iudex causas ultra necessitatem non protrahere, ne damna partibus oriantur.

Integritas postulat ut iudex in omnibus iustitiam servet, nec acceptio-
ne personarum, nec passione odii aut amoris, nec praecibus aut muneribus ad iustitiam laedendam flectetur.

Post iudicium ad nil tenetur iudex si sententiam iustam tulit, ad hoc enim constitutus est. Si vero culpabiliter sententiam iniustam tulit tenetur sententiam ipsam revocare, etiam cum gravi incommodo, si potest, et si sententiam iniustam revocare nequit tenetur damna omnia ex sua iniusta sententia secuta ex iustitia commutativa reparare. Si autem sententiam iniustam inculpabiliter iudex tulit, tenetur hanc sententiam revocare si sine magno incommodo id facere possit, secus ad nihil tenetur. Unde sequitur quod iudex ad restitutionem tenetur si poenam iusto maiorem imposuit, non vero si aliquem a mulcta pecuniaria, solvenda ex lege in poenam delicti, liberavit. Ad fisco consulendum non est constitutus.

De muneribus advocati.

In causis suscipiendis advocatus praeditus esse debet scientia competenti, et in ipsis tractandis diligentiam gravitati causae proportionatam exhibere; ne sua imperitia aut negligentia damna proprio clienti afferat.

Causas criminales, etsi iniustas, potest semper advocatus defendendas suscipere, causas vero civiles potest tantum suscipere, si iustae sunt aut saltem dubiae.

In causis defendendis advocatus nequit mediis iniustis uti, ne iudicem inducat ad sententiam iniustam ferendam, quo in casu tenetur ad damna reparanda uti causa iniusta et efficax. Potest autem advocatus occultare ea, quibus causa sua impediri posset, quia aliam partem non

decipit sed permittit ut decipiatur.

Quoad clientem advocatus tenetur:

- (a) exitum probabilem causae aperire
- (b) causam susceptam debita diligentia expedire
- (c) causam sine grave motivo non deserere
- (d) et honorarium iusto maius non exigere.

AD SECUNDUM:

Quando iudicis sententiae standum est?

- I. Sententia iudicis certo iusta obligationem in conscientia parit, eique standum est. Sententia haec est velut praeceptum superioris in casu particulari quod in conscientia obligat.
- II. Sententia iudicis certo iniusta obligationem conscientiae nequit inducere quia nequit dari obligatio violandi obligationem; eique standum non est. Hoc valet quidem tum si sententia est iniusta in se, tum si iniusta evadit ex non servato ordine iudiciali, sive iudex bona sive mala fide egerit.
- III. Sententia iudicis dubie iusta locum ut appellatio interponatur dat. Interea eique standum est, tum in foro conscientiae, tum in foro externo. In dubio enim factum praesumitur recte factum.
- IV. Sententia iudicis fundata in praesumptione falsa facti obligationem conscientiae non inducit. Praesumptio enim locum cedere debet veritati. Et si quis in foro externo suum ius vindicare nequit, potest sibi consulere etiam per occultam compensationem.

AD TERTIUM:

Quid de modo agendi Ambrosii?

Minime laudanda videtur sollicitudo Ambrosii bona filiis procurandi cum detrimento proprii muneris. Nam integritas et iustitia, iuxta superius exposita, postulabant ut sine acceptione personarum, et secundum iustitiam commutativam et legalem ius diceret.

Ideoque male se gessit Ambrosius Caium, filiae sponsum, absolvendo quamvis iudicialiter reum constiterit, et ad restitutionem tenetur, si in causa civili pars altera damnum passa sit. Si vero causa fuerit criminalis, et Ambrosius privata scientia sciret Caium innocentem fuisse nullam iniustitiam commisit Caium iudicialiter convictum absolvendo. Imo iuxta aliquos iniustitiam committeret si damnasset quem privata scientia innocentem sciret.

Ad iudicandum vero de bonitate aut malitia actionis Ambrosii in fi-

lium Iuvum docendo quomodo causae tractari debent ut lites vincantur videndum est utrum agatur de causis coram ipso iudice Ambrosio tractandis an non. In primo casu male se gessisse dicendus est Ambrosius, non vero in altero. Ratio primi est quia iudex partem advocati agere nequit, et ex proprio officio stricte tenetur sententiam proferre ex allegatis et probatis tantum; secus alteri parti iniustus foret. Ratio secundi est ius advocati peritiores consulendi ad lites vincendas. Si enim Ivo liceat consulere libros et in iure peritiores, nullam causam video cur non posset consulere patrem, quem ipse in iure peritiorum aestimat.

Quoad damnationem Gervasii innocentis, quem iudicialiter reum constiterit, dicendum quod Ambrosius peccare potuit contra caritatem non vero contra iustitiam. Peccavit forsitan contra caritatem Ambrosius si omnia media ad liberandum innocentem non tentavit. Non peccavit vero contra iustitiam quia de hac re non una est theologorum sententia. Sunt enim qui tenent iudicem numquam posse damnare innocentem, etsi iudicialiter reum constiterit, ad privationem vitae vel libertatis; quia super haec publica potestas nullum dominium habere potest ob bonum publicum. Alii vero cum S. Thoma tenent quod iudex uti persona publica potest semper proferre sententiam iuxta allegata et probata, etiamsi agatur de imponenda poena gravissima mortis, quia iudex est persona publica quae iuxta scientiam publicam ob bonum commune in omnibus procedere debet. In tanta diversitate sententiarum Ambrosium iudicem de iniustitia in casu non auderem damnare.

L. SPITERI